



Kem 3489 (1-15)

546

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
SISTENS
PATHOLOGIAM TYPHI
ACUTI
SIVE
FEBRIS NERVOSAE ACUTAE.

5

QUAM
CONSENSU
FACULTATIS ILLISTRIS MEDICAE
IN REGIA FRIDERICIANA
PRAESIDE
VIRO ILLUSTRI, EXCELLENTISSIMO
JOHANN. CHRIST. REIL,
MEDICINAE AC CHIR. DOCT. ET PROFESS. THERAPIAE
P. O. SCHOLAE CLINICAE DIRECTORE ET CIVI-
TATIS HALENSIS PHYSICO,

PRO
GRADU DOCTORIS MEDICINAE
ET CHIRURGIAE

RITE IMPETRANDO
DIE XVIII. OCTOBR. MDCCLXXXII.
PUBLICÉ DEFENDET

AUCTOR
JOHANNES FRIDERICUS MAASZ,
BRIGA SILESIUS.

HALAE,
LITTERIS GURTIANIS.



1400 1400 1400 1400 1400

1400 1400 1400 1400 1400

1400 1400 1400 1400 1400

1400 1400 1400 1400 1400

1400 1400 1400 1400 1400

1400 1400 1400 1400 1400

1400 1400 1400 1400 1400

1400 1400 1400 1400 1400

1400 1400 1400 1400 1400

1400 1400 1400 1400 1400

1400 1400 1400 1400 1400

1400 1400 1400 1400 1400

1400 1400 1400 1400 1400

1400 1400 1400 1400 1400

1400 1400 1400 1400 1400

De typho acuto.

§. 1.

Quum tot morborum humani corporis imbecillitatem invadentium, febres non creberrimae tantum, sed maximum quoque vitae periculum afferre reperiantur, ipsarum fane tractatio accurata necesse est, ut medicinae artis perito studio peculiari digna esse videatur. Eo autem acriorem in iis puto adhibendam esse attentionem, quo majori eae hominem subjiciunt discrimini, quoque difficilis est ipsarum diagnosis; quae saepe demum morte non procul absente agnoscitur. In quibus, quum febris acuta nervosa, propter naturam ipsius saepissime malignam, in primis locum obtineat; eam maxime auctore Viro Ill. Professore REIL, praceptorum summe venerando, hac in dissertatione tractandam putavi. Quod autem argumentum, quamquam virium mearum tenuitatem longe superare, bene perspicio; non tamen fore alienum puto, ea modo colligere, quae doctorum scripta de hac causa prodita habent.

§. 2.

Varia typhi acuti nomina.

Typhus acutus varia ab auctoribus accepit nomina. Nihil quidem interest, quomodo morbus aliquis a quoque appelletur, modo sciamus quem-

A que



que eundem morbum etiam intelligere, quanquam alia voce expressum. Sed tum necesse est, confusio existat, si nomine communi, morbus qui proprii generis est, describitur. Praecipue hoc evenit typho acuto. Fere unusquisque auctor ei aliud nomen dedit. Ipsa nomina pleraque a malignitate, symptomatibus et locis, quibus plurimum gignitur, desumpta sunt. Nonnulla modo proferam. Veluti eam ill. CAMPBELL nominat typhum, seu febrem nervosam contagiosam; PRINGLE, febrem carcera-riam et nosocomiorum; HEYSHAM, febrem carcerum; REIL, typhum acutum; SELLE febrem acutum nervosam; alii eam verbo febris putridae, alii tantum febris malignae, describunt. Plura etiam allegare nomina possim, sed haec sufficiant. Equidem vero hanc febrem in hac dissertatione appellabo vel typhum acutum duce CULLEN qui nomine typhi omnes febres nervosas et putridas complectitur, vel febrem acutam nervosam, de symptomatibus nervosis et ut ea distinguitur a febre et lenta nervosa et putrida.

§. 3.

De notione typhi acuti.

Quum typhus acutus tam varia nomina accepterit, jam sequitur per se, ut notio ejus etiam sit varia. Nonnulli auctores respiciunt symptomata, hanc febrem saepius comitans, putredinem scilicet. Ex putredine autem censeo naturam morbi non pendere, quum initio nulla manifesta sanguinis depravatio deprehendatur, vel saltem si aliqua adeat, ad febrem haud temere facit, quamvis in statu
com-

complicato haud raro putredinem observare liceat.*⁾
Notio autem typhi acuti, valde est difficilis, quia
in illo fere nullum signum pathognomonicum repe-
riatur, quia causa proxima nos adhuc fugit.

CULLEN in descriptione typhi: „typhus inquit
est morbus contagiosus, calor parum austus; pul-
sus parvus, debilis, plerumque frequens, urina pa-
rum mutata, sensorii functiones plurimum turbatae,
vires multum imminutae.“<sup>**) Haec defini-
tio fere quidem in omnibus casibus morbo adulto,
apta est, attamen non initio; nonnullae enim for-
mae sunt typhi acuti, quae hac definitione nec con-
tinentur, nec quoque possunt v. c. si specie inflam-
matoriae febris significatur. SELLE febris nervosae
e contagio hanc definitionem nobiscum communi-
cavit: „febris contagiosa, symptomatibus mere
nervosis stipata, vel ob infictus vehementiam abs-
que ulla manifesta evacuatione necans, vel exan-
thematibus in partibus glandulosis prorumpentibus,
vel magna sudore insignita.“^{***)} Haec sunt, quae
de notione typhi acuti auctores illi prodidere. Cum
igitur nulla definitio initio hujus morbi apta sit,
contenti modo simus, descriptione horum sympto-
matum.</sup>

A 2

Sympto-

*⁾ BRENDL d. de senior. usu evac. in quibusdam acut.
§. 20.

**) W. CULLEN's kurzer Inbegriff der medicinischen
Nosologie, Leipzig, 1786. p. 93.

***) C. G. SELLE Rudimenta pyretologiae methodicae,
Berolini, 1789. p. 309.

Symptomata et decursus typhi acuti.

Initium hujus febris est tam varium ut diagnosis non tantum sit difficillima, sed plerumque plane fieri non possit. Attamen, et si tanta, diversio symptomatum adeat, operam tamen dabo, ut signa typhi acuti et decursum morbi, quam possum accurate describam.

Typhi acuti initium, auctoribus fidei dignis, plerumque faciunt vagi et errantes rheumatici dolores, qui praesertim regionem lumborum et spinam vertebrarum tenent. Qui dolores saepe ita sunt acres, ut jam animadvertere copia fuerit, eos aegroto omnem quietem et somnum rapere, et illum paene de nihilo, quam de iis queri; apparent porro vertigo, ut in inebriato; temulentia capitis; subitae vicissitudines frigoris et aestus; morbi quidam sensus, quia aegrotus affirmare solet, se vere aegrotare quamquam symptomata, quae queritur, non respondent illius sensui morbi; debilitas; appetitus imminutus et aversatio ciborum; taedia; crebri ructus et vomitus, signis materiae turgescentis carentes; fapor alienus et fitis, quae tamen saepe est nullius momenti; inertia et aversatio motionis; somnus inquietus quo aeger non recreatur; somnia terrentia; pulsus irregularis, parvus, aliquantum durus et inaequalis, saepe solito tardior; interdum symptomata catarrhalia adfunt, e. g. gravedo, inflammationes narium et faucium, sternutatio, oculi lacrymantes; nonnulli aegroti valde dejecti sunt, alii autem vivacitate intempestiva labo-

laborant. *) In quibusdam initium febris cernitur propensione ad somnum et quietem, vel agrypnia; deinde lingua alba, arida, aspera et tremente. PRINGLE saepius vidit manus trementes; sensum rigoris in brachiis; nonnulli etiam initio de obtusione et doloribus capitis conqueruntur. In his symptomatibus aegrotus adhuc ambulare solet et saepius operibus consuetis fungi valet. *) Postquam autem hi affectus nonnullos dies duravere, pejus se habet et lepto se continere cogitur, idque accidit eo celerius, quum aeger primos affectus per laborem et motus corporis vehementes, expellere velit, et morbum rheumatismum esse credat.

§. 5.

Continuatio.

Quum haec symptomata aut plures aut paucos dies durarunt, ipsorum vehementia magis magisque increscit. Apparet deinde requietis inopia, magna animi dejectio; major debilitas; functiones vitales valde laborantes: respiratio scilicet agitata et anxia; gemitus crebri, et anxietas pectoris, quae interdum tantopere augetur, ut aeger cum multo tantum labore spiritum ducere, videatur; pulsus parvus, debilis, interdum duriusculus, frequens, centenorum vigenorum istuum; somnus interrupsus et somnia terrentia; dolores capitis, praecipue in regione frontis; stupor; calor modicus initio,

*) C. G. SELLE, Medicina clinica. Berolini, 1789. p. 41.

**) DAN. CAMPBELL on the typhus or the low contagious fever. Oxford, 1785. p. 64.



tio, qui saepe morbo etiam longe profecto, idem fere est; lingua plerumque sicca, dura et fusca, fissuris incisa, interdum autem humida et albo et fusco muco obtecta; tremor manuum; interdum sitis vehemens, plerumque tamen modica; actiones et motus aegroti plurimum praecipitati sunt, at debilitas totius corporis eminet; urina valde diversa et dubia, mox rubida, mox subflava, mox etiam pallida; *) saepissime ea mutat colorem, interdum ipsi innata nubecula, interdum ea est clara; plerumque nunc cutis arescit, quia sudores diminuntur. Nonnulli aegroti conficiuntur obstruktione alvina, alii diarrhoea.

Haec symptomata nonnullos per dies continuuntur, ubi aegrotus febrem regularem habet, donec tandem symptomata malignaclare manifestantur.

§. 6.

Continuatio.

Quo facto angor et inquietudo aegroti sensim augetur, ita etiam perturbatio capitis, existunt deliria, variis signis apparentia, quae in duas species dividi possunt: *primum* enim, quando facies rubra, fervida, oculi rubri conspicuntur, status fere idem, qui in inflammationibus existit, et in ea specie praecipue oritur impetus aegroti e lecto surgendi. Aeger omnia fere membra, ut manus, pedes, oculos assidue movet, quietem querens. **) Secundum,

*) CAMPBELL, l. c. p. 67.

**) JOHN PRINGLE diseases of the army. p. 347.

dum, aeger habet speciem miseram, pallidam, vocem submissam et tardam, dormit oculis semi clausis et delirat. Haec species delirii est mitis, illa autem furiosa. Somnus aegroti est maxime inquietus, et noctu praecipue deliria existunt; parum dormit et somniis terrentibus vel visionibus occupatur, si suscitatur, tamen aliquod temporis pergit delirare, et visa vera esse putat, donec tandem de contrario sibi persuaditur, quod tamen non diu fit, quia statim in pristinum statum revertitur. Apparent tremor manuum, subsultus tendinum, interdum etiam motus muscularum convulsivi. Respiratio pergravatur, aeger saepe cum multa virium intentione spiritum ducere solet. Pulsus plerumque parvus, debilis et frequens 120 — 140 instantium, non autem semper est tam frequens, sed CAMPBELL observavit in nonnullis aegrotis pulsum, quem morbus siebat letalis, tantum 66 fere instantium. Asperatus et color aegri est terribilis, tristis et squalidus. Calor corporis, tactui molestus et vehemens. Plerumque dolores capitis praetereunt, et sedem maxime tenent in regione frontali; oculi speciem turbidam et inflammataam praebent, stant veluti rigidi et vita carere videntur, albuginea saepius rubida est, perinde ac si inflammata esset, pupilla interdum ut in hydrocephalo interno dilatatur. *) Auditus plurimum etiam laesus est. Debilitas aegri paulatim augetur; lingua porrecta et omnia membra trepidant. Angor deinde etiam magis intenditur, et erethysmo nervorum per aliquod tempus continuato stupor adparet, quo nonnulli etiam mature afficiuntur, interdum in eum, post primum impetum incident. Aegrotus quasi attonitus procumbit,

debi-

*) CAMPBELL. l. c. p. 71.



debilitas et propensio ad quietem et silentium et post motus corporis caducum et sui impotenter fieri, magis elucescit, facies pallescit et residet. In plurimis casibus etiam si quasi attonitus recubat aeger, tamen inquietus est. Deliria sunt initio transitoria, tunc feriora et magis continua sunt. Vomitus, deglutitio sonora consociantur; apertura oris et dentes muco squalido et atro abducuntur. Dies et noctes aeger inquietas et sine somno consumit; etiam dolores adsurgunt artuum et praecordiorum, haec enim sunt tensa, calida et pulsantia; *) exanthemata apparent miliaria et peticulae vel rubrae vel nigrae; congestiones in partes diversas; ictus pleuritici; inflammations partium internarum, in quibus pulsus antea parvus et debilis, nunc fit durus et primum digitis velut filum metallicum appellit, tum sphacelus exsistit et gangraena; prostratio virium summa; deliria continua et sopor alternis succedunt; surditas; pulsus submersus, irregularis, tardus, interruptus; demum convulsiones; excretiones involuntariae; frigidae extremitates et sudores, et stupor etc. se adjungunt, quae finem vitae imponunt. Symptoma quae in exitu letali omnium febrium observamus, sibi semper tam similia et incurabilia sunt, ut ipsorum enarratio sine ullo esset fructu.

§. 7.

De divisione decursus typhi acuti.

Quicunque decursum hujus febris contemplatus, facile intelliget, in eo certas periodos esse, quas

*) J. C. REIL, memorabilium clinicorum. — Vol. I.
Fasc. II. p. 94. Haæc, 1791.

quas morbus percurrit. Ad melius perspicienda, et ad accuratius judicanda symptomata utile fore credo, totum decursum typhi acuti in tria stadia partiri. Quoniam mihi divisio, quam PRINGLE nobis-
cum communicavit, omnes virtutes divisionis accu-
ratae habere videtur, eam sequor.*)

Decursus autem typhi acuti non ita est ter-
minatus et in certas dies inclusus ut e. g. variola-
rum, sed modo maturius modo tardius finitur. Nec
etiam necesse est, morbum hunc semper periodos,
quas describam, accurate ex ordine transigere,
sed et potest finem adipisci in stadio primo vel se-
cundo et saepius adipiscitur etiam. Eodem modo
initium typhi acuti incertum est, nam ille non ra-
ro oritur cum stadio secundo. Etiam decursus ha-
rum periodum non est ita definitus finibus certis,
quemadmodum alii morbi; symptomata alium sta-
dium indicantia, saepe sunt obscura praesertim in
initio, et magnam difficultatem diagnosi efficiunt.
Attamen, quantum per virium mearum exiguita-
tem licitum est, operam dabo, ut eos periodos di-
stincte satis definiam.

§. 8.

De stadio primo.

Stadium primum eam morbi periodum esse
dico, in qua typhus acutus vulgo incipit, quod ple-
rumque nomine prodromorum significatur; quid
autem prodromi alias, quam stadium primum?
Hocce stadium omnes eos affectus continet, de qui-
bus

*) PRINGLE l. c. p. 360.



bus aegrotus quaeritur, a tempore contagii, usque eo, ubi prima essentialia febris signa, nempe frigus et insequens aestus manifestantur, sive ea symptomata, in quibus aeger adhuc ambulat, donec in lectum se conferre cogatur.

Temporis autem spatium hujus stadii est varium, saepius dierum duorum vel trium saepe etiam plurium. Hoc in periodo maximam partem aeger extra lectum tempus terit, et saepe adhuc consueta opera administrat, id quo CAMPEELL frequenter observavit. Quaeſtio mihi hoc in loca proponi posse videtur; nempe quae sint signa charactistica hujus stadii? At cuilibet medicinae perito difficile quidem foret, e signis in §. 4. allegatis, hanc febris speciem agnoscere, si sporadic nobis se offert, cum etiam aliae febrium species, praeципue malignae, haec symptomata in principio habeant. Ill. SENNERT „Febres, inquit, malignas in principio statim cognoscere difficile est, cum malignitas saepe diu lateat, et non nisi ubi vires sumsis, sese prodat. „*) Symptomata essentialia huic stadio omnino desunt; quae in §. 4. indicavi symptomata plurimum sunt prodromi febris malignae, at in decursu demum scena maligna aperitur. **) Unicum, ex quo cum magna verisimilitate ad typhum acutum concludi potest, *signum* est, quum hujusmodi epidemia adeat, et aliquis de symptomatibus indicatis queritur. Caeterum etiam PRINGLE affirmat, initium hujus febris non facile a febre vulgari posse distingui.

§. 9.

*) SENNERT Epit. de febribus I. 4. c. 10.

**) REIL I. c. Vol. I. Fasc. II. p. 93.

§. 9.


De stadio secundo.

Tempus hujus stadii aequa ac primi est incertum. Aeger frigore et aestu afficitur, in lectum se conferre cogitur et symptomata in §. 5. descripta animadvertuntur. Spatium hujus stadii duos vel tres vel quinque dies durat. Diagnosis febris nervosae acutae etiam hoc in stadio multis premittitur difficultatibus, contagium et constitutio epidemica fere unica signa sunt. Caeterum symptomata malignae febris sunt perspicua. Maxime autem in typhum acutum magna cum verisimilitate concludi potest, quod omnes motus aegrotantis ipsa oratio sistema nervorum prodant valde irritatum et debilitatum. Pulsus duriusculus et frequens 120 — 130 ietuum. Initium hujus stadii ex eo fieri puto, quando aeger se in lectum confert et febris cernitur, functiones sensorii quodammodo turbantur et pulsus adhuc plenus est. Symptomata hujus stadii quoque mitiora sunt quam proximi.

§. 10.

De stadio tertio.

Typhus acutus hanc periodum adtingens, plerumque malam in partem finitur. Initium hujus stadii inde effici puto, quum pulsus confidit et stupor associatur. Tempus ipsius est indefinitum nec in eo typhus acutus potest ignorari. Nunc omnes functiones, praesertim autem vitales vehementer confici et laborare videmus. Deliria acria sunt; im-



imbecillitas aegroti, cum statu systematis nervosi irritato conjuncta, typhum prorsus indicant. Omnes motus et functiones habent hoc signum: In quolibet brachiorum vel pedum actione, musculi quasi convulsivi moventur. Caeterum in hoc actu signa febris lentae nervosae et febris putridae sensu strictiori, non reperiuntur.

§. II.

Differentiae typhi acuti a ceteris febribus.

Etsi typhus acutus singularis febrium est species, tamen propter ipsius varias formas valde difficilis est, eam ab aliis febribus discernere, praecipue hoc ad ejus principium pertinet. Primis diebus, priusquam symptomata essentialia erumpunt, non facile fieri potest, ut ille, nisi magnum malignitatis gradum jam ascenderit, ab alia quaque febre distinguatur. Praesertim autem hoc pertinet ad nonnulla febrium, typho acuto valde affinium genera ut febris lentae nervosae et putridae. Hoc loco, quoniam de his paulo inferius loquar, signa, quibus a reliquis febribus differre solet, producam. Adeo in typho acuto, vehemens turbatio functionum cerebri, nimia et singularis intensio omnium organorum cum debilitate conjuncta. Aeger sine fine agitatur, in quolibet loco lecti quietem quaerit et surgere ex eo conatur, at surrectus se tenere non valet; hanc debilitatem probat etiam pulsus, qui, quamquam frequens, tamen est debilis; porro angor et inquietudo magna; affectus spastici cuiusque generis, subsultus tendinum; tremor linguae protensae et manuum. In primis autem differt inclinatio

clinatio ad inflammations, quas dicunt occultas si-
ve internas, ad sphacelum et gangraenam, qui af-
fectus huic febri quasi praecaeteris est proprius et
insignis. Denique nobis intendendum est, an sym-
ptomata characteristica aliis febris adsint.

His credo non difficile fore, typhum acutum
a ceteris febribus discernere. Quum autem febris
nervosa lenta et putrida nostro cum typho tam ar-
ete sit coniuncta, non inutile erit, signa differen-
tiae harum febrium singulatim addere.

§. 12.

Differentiae a febre lenta nervosa.

Quum typhus acutus, paroxismo primo finito,
se interdum magis ex debilitate et propensione quie-
tum et caducum esse, ostendit; hoc in actu cum
lenta nervosa febre facile commisceri possit, nam
alioquin non difficile est, eum ab hac distinguere.
Signa differentialia inter typhum acutum et febrem
lentam nervosam haec fere sunt:

Imum, ipsarum causae. Typhus acutus fere
semper e causa epidemica et e contagio oriri solet;
febris nervosa lenta plerumque autem a causis
praedisponentibus. Ill. HOME, aliqui, hanc febrem
epidemice videre: at hae epidemiae tamen per
quam sunt rarae, et tantum exemptiones regulae esse
videtur. Typhus acutus a causa occasionali ma-
gis proficiisci solet. Si enim morbus aliquis epide-
mice, sive a contagio existit, non potest dubitari,
causas



causas praedisponentes nihil aut paulum tantum, ad morbum producendum valere.

IIdum, est typhus acutus eo conspicuus, quod omnes, qualicunque constitutione corporis sint, invadat, etiam robustissimos viros, optima valetudine gaudentes; febris autem lenta nervosa eos praecipue, debilitate sive congenita sive acquisita, laborantes.

IIIitum. Symptomata morbi. Typho acuto exorto, symptomata valde graviora existunt, quam in febre lenta nervosa; qua re MANIGHAM eam febrem exiguum nominat. In hac adest sola debilitas, non irritato et turbato systemate nervoso. Tempus solutionis et durationis, etiam in utroque morbo differt, nam haec longius temporis spatium perdurat, typhus acutus autem in tertio septenario solvitur.

Haec per symptomata non difficile fore credo, hanc tam arte conjunctam febrium speciem, a typho acuto discernere.

§. 13.

Differentiae a febre putrida.

Hic mihi necessarium videtur exponere, quid voce febris putridae intelligatur. Plurimi autores eam sic appellant, quae cum putridis sordibus primarum viarum, cum putrida resolutione sanguinis et vehementi perturbatione nervorum conjuncta est; alii autem eam, quae putredine secundarum viarum, non a putredine primarum producta, sive non amplius

plius ex illa pendente, significant. Hoc loco febrem putridam frictioni sensu intelligo. Animadvertisimus autem in febre putrida:

1) Excretiones putridas. Excrements et sudor et aër circumjectus, odorem cadaverosum praeferunt.

2) Haemorrhagias in omnibus corporis partibus, e. g. naso, intestinis, gingivis, oculis et reliquis, immo in cute, velut ~~HUXHAM~~ affirmat, se sudorem sanguineum sub axillis, indusium rubre tingentem, vidisse; porro cicatrices vetustae denuo recrudescunt, sanguinemque emittunt.

3) Praesertim peticulas, in typho acuto autem exanthemata miliaria; in extremo morbi etiam saepe vibices et aphthae in cavitate oris conspicuntur.

4) Cubando partes lividae efficiuntur, male olent, et ulcera maligna gangraenosa existunt. Magna propensio ad gangraenam adest, et vulnera libenter hunc statum assumunt, quin etiam vesicatoriis exhibitis existit.

5) Febris putrida diutius durat. — Haec fere sunt signa typhum acutum a febre putrida distinguentia, quanquam persuasum mihi est, pluribus dubiis ea urgeri, quod tamen in re tam difficili non facile aliter potest accidere.



§. 14.

De Exanthematibus in typho acuto.

Fere semper in progressu hujus febris exanthemata erumpunt, non certo tempore, die 4to vel 5to interdum 14to. *) Haec exanthemata tantum accidentia sunt nec unquam iis morbus judicatur, nec ipsi levamen affertur. Horum duo genera esse reperiuntur, exanthema miliare et peticulae. Quoniam posteriores simul statim resoluti sanguinis indicant, pro pejoribus habentur, quam priora. Saeppe exanthema miliare, vario cum colore, apparet, videlicet albo et rubro, crebrius tamen albo. Alia exanthemata sunt peticulae, quae modo lucido et rubro, modo livido et nigro sunt colore. Aequo etiam magnitudine sunt diversae, a puncturae pulicis usque ad magnitudinem lentis. Saepius tam densae erumpunt, ut non statim animadvertantur, sed cutis tantum aliquantulum sit rubrior, accurate autem inspiciendo non possunt non agnoscendi. Frequentissime in pectore et dorso, rarius in brachiiis et pedibus, fere nunquam autem in facie apparent. Praecipue illae in iis aegrotis animadvertuntur, quorum morbus post primum paroxismum aliud exitum habet, et debilitas praevalet. Haec exanthemata efficiunt diagnosis hujus febris facilorem, ut reliquis symptomatibus simul adhibitis, de ipsius praesertia non possit dubitari.

§. 15.

*) PRINGLE l. c. p. 350.

§. 15.

De signis essentialibus.

Diagnosin hujus febris initio valde difficultem esse, supra jam dixi, et ex hoc elucet, signa essentialia, in primo periodo vel valde esse obscura, vel plane nulla. Signa characteristica certe nemo protulit, quod etiam non facile quisquam possit, morbo tam variis formis apparente. Nullum symptoma est constans hac in febre. Hoc loco ea tantum, quae plurimum et fere semper adesse solent, producenda puto. Omnes functiones laefas videntur, in primis autem vitales et animales, quae semper sunt perturbatae et eorum singna fere semper eadem. Itaque arbitror, ab his signa essentialia esse patenda. Animadvertisit pulsus frequens 120 — 140 instantium, parvus et durus aut mollis, regularis aut spasticus. Ex pulsu autem nihil certi concludi potest, cum hujusmodi etiam in aliis febribus malignis deprehendatur, et ille etiam in typho acuto non semper sibi aequalis maneat, nam morbo ad finem perducto, CAMPBELL pulsus observavit tardum, eumque 66 instantium, nihilo tamen minus impeditum. Respirationis organa etiam valde vitiata sunt, non tam initio, quam in progressu morbi, in quo respiratio fit brevis, anxia et anhelosa. Functiones animales valde perturbatas esse, jam ex eo sequitur, quod typhus acutus, morbus nervorum est, et si nostra notitia systematis nervosi accurasieret, forsan ex hoc, signa characteristica repeti possent. Videmus in typho acuto esse summam nervorum perturbationem, omnes actiones corporis irritatas, sed virium expertes; anxietatem

B

tatem



tatem magnam, aegrum se semper in lecto jactare, surgere conari; facultatem sentiendi et judicandi esse distractam; deliria et maxime somnia horribilia, quae aegrotus etiam vigilans, pro veris habet. Spasmi et convulsiones; tremorem manuum initio fere semper vidit PRINGLE, tanquam symptomata constans. Organa sensoria externa etiam laborant. Quasi essentiales sunt inflammations occultae, proclivitas ad has fere semper adest, maxime cerebro, et magna propensio harum in gangraenam transeundi. Ex hoc sequitur nullum adesse symptomata characteristicum, et ex uno signo morbum non posse cognosci, idque solum nobis ex omnibus symptomatibus conjungendis licitum esse. Praecipue igitur attendendum esse puto in causam occasionalem, quae fere semper est miasma et contagium. Epidemica constitutio nobis in casibus dubiis, saepe dux erit.

§. 16.

De solutione et duratione typhi acuti.

Duratio morbi incerta est, saepius jam septimo die vel bonam vel malam in partem, plerumque autem in tertia hebdomade solvitur, quae tamen non raro exceditur. Attamen in plurimis, morbo ante diem decimum quartum se solvente, mors insequitur. Typhus acutus solvitur per crisin, per mortem et per transitum in aliud morbum.

I. De solutione per crisin. Dies criticos certos in typho acuto animadvertere non possumus, quanquam aegrotum diem XIV. vita transigere velimus

limus, quia tunc major salutis spes haberi possit.
 PRINGLE quidem, se exempla prosperae solutionis,
 quae die septimo evenierat, vidisse profitetur.*) Cri-
 ses, quae in typho acuto adiunt, etiam ita sunt
 indefinitae, ut fere nihil certi ex iis praedicere
 possimus; sed tempus potius morbum solvere vide-
 tur. Optabile quidem est sedimentum urinae et
 sudor placidus. Urina autem quam fallacissima est,
 nihil enim certi ex ea praedici potest, et omnes
 fere medici de incertitudine ejus conqueruntur.
 Saepius mutatur ipsius color et cruditas, sine ulla
 mutatione morbi. Post bonam crisin illa quidem
 erassa fit, sed non semper sedimentum existit. Uri-
 na clara et pallida, experientia quidem docente,
 spasmos et deliria indicat. Sudor levis, modicus,
 in omnibus casibus bonis fere semper adest; pluri-
 mi vero aegroti aut sudoribus per totum morbum
 laborant, aut eute arida. Sudores per medicamen-
 ta expulsi, nocent, et nunquam critici sunt, ex-
 cepto morbi initio, ubi saepe per eos febrem pro-
 fligare possumus. Sed etiam sudores naturales non
 critici sunt, nisi morbus decrescere incipit. Sudor
 criticus, modicus et universalis esse debet, saepius
 tantum levis diaphoresis, totum per corpus aequa-
 liter diffusa. Post crisin plurimi adhuc dolores ar-
 tuum, inopiam quietis, omnes autem magnam de-
 bilitatem, temulentiam capitis, vertiginem, susur-
 rum aurium, conqueruntur. Aegroti typho acuto
 liberati, tanta debilitate convalescentes sunt confe-
 sti, ut vix vivere videantur; pulsus ipsorum est
 debilis et tardior quam natura fert, id est sexag-
 genorum istuum.**) Facile syncopen patiuntur si

B 2

se.

*) PRINGLE I. c. p. 350.

**) CAMPBELL I. c. p. 71.



se commovent, in primis autem, quum e lecto se ele-
vare velint. Vox est tenuis, imbecillis et inter-
rupta. Omnia haec symptomata maxime in iis con-
spiciuntur, quorum caput morbo valde erat vexa-
tum. Hac ratione natura typhum acutum bona
ex parte solvere solet. Videmus autem, morbum
diuturnum etiam saepe solvi, tumoribus et aposte-
matibus parotidum et glandularum axillarium. Qui
tumores sive abscessus sunt mature aperiendi, etiam-
si non adesset fluctuatio, quae in his fere nunquam
apparet. Quod enim nisi sit, alii abscessus oriun-
tur. Pus, quod iis continetur, saepe tam densum
et tenax deprehenditur, ut nulla fluctuatio adesse
possit. Hos abscessus forsan criticos esse, et ab iis
morbum, contagio facto, prohiberi posse, casus
quidam, qui apud PRINGLE legitur, probare vide-
tur. Homo enim quidam, quum ipsius parotides
utriusque lateris intumuissent, nulla praegressa ae-
gritudine, et discutientia adhicerentur, facta dis-
cussione typho acuto afficiebatur. *)

II. Per transitum in aliud morbum. Ty-
phum acutum diu permanentem, paulo antea dixi,
saepius per suppurationem parotidum solvi; inter-
dum autem hae suppurationes in partibus internis
sunt, et tunc febris hectica exsistit. Hic exitus
valde est vulgaris, cum inflammationes quae di-
cuntur occultae nulla in febre crebriores, quam
in hac reperiuntur. Quare Phthisis pulmonum,
hepatis, lienis etc. eam excipiunt. Fieri potest,
ut etiam transeat in febrem putridam, fomite pu-
trido in primis viis sito.

III.

*) PRINGLE l. c. p. 351.

III. Per mortem. Mors varie in typho acuto evenit, ut: per inopiam virium vitalium, si typhus homines inermes et debiles invadit, si illis initio venae sectiones largae, laxantia etc. adhibita sunt; deinde per gangraenam; inflammations enim internarum partium propter laefas vires vitales valde inclinant in gangraenam et sphacelum, quae saepe tam cito oritur, ut nihil contra eam adhiberi possit, et diagnosis inflammationis internae facta, gangraena jam adsit. Mors hanc febrem etiam ita sequitur, ut in aliis febribus non facile observatur; organon enim ipsum vitale corripitur, existunt abscessus in ipso cerebro, quos mors inevitabilis sequitur, et qui extra fines artis medicae sunt positi. Etiam aliae solutiones per mortem sunt, quas autem praetereundas puto, quum mors fere quamque febrem eadem ratione consequitur et ideo hoc typho acuto non est singulare.

§. 17.

Prognosis.

Ex celeri decursu jam sequitur, febrem esse acutam, et quum epidemice occurrat et e contagio oriatur eam referri debere in malignorum numerum. Ita autem maligna non est, ut vulgo creditur; singulae epidemiae typhi acuti interdum maligniores quidem esse possunt, causae autem hujus rei non in febre ipsa, sed in aliis circumstantiis sunt sitae. Prognosis universe de cerebo offensu instituenda est, sed de hoc infra. — Typhus acutus est sexui potiori periculo majori, quam posteriori, quia in illo facilime formantur inflammatio-

nes



nes internae. Infantes feliciter morbum perferunt, quamquam in ipsis non est levior, saepe enim cum magna vi ab eo corripiuntur. Juvenibus robustis atque plenis est morbus periculosus. Homines qui sunt fibris laxis ac tenuibus, qui exiles sive a natura sive morbis, e. g. phthyalismo, vigiliis et reliquis, majori periculo sunt subjecti, *) humores qui in illis jam sunt attenuati et male cohaerentes, ad resolutionem et putredinem abeundam valde propria sunt, viribus, priori morbo jam consumptis. Febris complicata gravior est; praesertim si in anni temporibus, quae putredinem fovent, exsistit. Ad rem melius perspiciemus nunc symptomata singula et bona et mala, recensendo.

§. 18.

Signa salutifera.

Ex uno signo nihil certum concludi potest et complexus omnium fallacior est, quam in ulla alia febre. Symptomata bona sunt haec: functiones cerebri non violatae; animus sibi constans; nullum delirium; morbus cum prodromis et sine prostratione virium incipiens; pulsus mollis non nimis frequens, vel parvus si quidem post remedia cordiaca et nervina se levat, cutis humida et circa solutionem febris, mador cutis universus, lingua humida et epithelium laxum; sedimentum in urina sive turbitas illius; sedimentum in lotione circa decrementam morbi, aliis mutationibus prosperis absentibus, non est certum signum, alvus laxa quam modor cutis excipit; surditas quidem in utroque,

et

*) PRINGLE I. C. p. 352.

et qui sanatur, et qui moritur, aegroto, exoritur, sed in posteriori major esse videtur; *) stupor, qui usui vini et nervinorum cedit, bonum est signum. Post criticos abscessus, porotidesque aegrotus semper a recidivo liber esse solet.

§. 19.

Signa mali ominis.

Uti mador cutis et urina turbida; vel cum sedimento, justo tempore apparentes, bona signa sunt, ita sudores profusi et urina pallida, malo sunt augurio. Sudores nullum levamen adferunt, excepto initio morbi et tempore criseos. Urina pallida, tenuis, nulla cum hypostasi, vel ita ut in se ex enaecremate mox nubecula fiat, malum est, aequae etiam diarrhoea aquosa et colliquativa, quod vires per eam consumuntur; porro cutis sicca, arida, spasmi omnis generis; subsultus tendinum; continua nausea et vomitus; oculi rubri valde inflammati, turbidi, depresso et velut rigidi; loquela praecipitata et mutata vox; surditas; in primis male est, si cerebrum est laesum, ejusque functiones valde sunt impeditae; deliria furiosa; pervigilia; virium confectione magna; animus dejectus; inquietudo aegroti et inclinatio e lecto surgendi; motus linguae porrectae tremulus, vel impotentia eam protendendi; lingua sicca et fissa, pulsus frequens 120 — 140. iactuum, debilis et parvus, vel filo metallico appellenti similis; inflammations partium internarum et nobilium, praecipue cerebri et pulmonum; aegrotus ita affeetus, etiam

*) CAMPRELL l. c. p. 71.





etiam in delirio hanc partem manu petit, et eo tangendo dolorem prodit; deglutitio sonora; vehementes dolores capitis; metastases ad partes nobiliores v. c. pulmones, ubi peripneumonia quaedam exsiftit, cum crebra ejectione materiae tenacis, pituitosae; considerans pulsus; si ad haec symptomata sedes invotuntariae, malae olentes, ichorosae accedunt, sphacelo et gangraena intestina se correpta profitentur. Plura etiam symptomata afferre possim, supra tamen jam dixi, signa letalia in fine morbi apparentia, in omnibus febribus sibi esse similia et aequalia. Caeterum omnia signa, quae vel bona vel mala in aliis febribus prognosi sunt, eadem etiam in typho acuto.

§. 20.

De causis.

Causae hanc febrem producentes, nondum sic expeditae sunt, ut eas certo scire possumus; nec illae unquam facile possint expediri, quoniam nostra notitia causarum morborum adhuc abscurissima est. Nemini velim imputare, ut eas causas, quas proferam, veras, sed ut verosimiles tantum habeat. Ea tantum proferre conabor, ad causas evolvendas, quae vel natura perscrutanti exhibet in decursu morbi, vel quae ex efficientia medicaminum et ex sectionibus, typho acuto mortuorum, institutis, concludere possumus.

§. 21.

§. 21.

De causa proxima.

Hoc in loco nihil aliud, quam opiniones aliorum proferre possum, cum naturam hujus febris nondum cognovimus. Causa proxima *debilis et anomala actio sensorii communis et nervorum* esse videntur. Debilitas est quidem symptoma essentiale in typho acuto, quae e causa occasionali nascitur; in hac autem sola causam proximam non consistere, magna debilitas quae superato typho acuto remanet, probare videtur. Summa debilitas quidem adest, omnes tamen motus febriles desunt. Hac debilitate maxime vasa cerebri laborare videntur. Vis debilitans contagii in vasa cerebri, praecipue propter tenuitatem fibrarum ad extendendum apta, impetum facit; tum humores hunc locum petunt, et reactione vasorum imminuta, ea expenduntur; vasa expansa per spatium magnum organon vitale premunt, et in sequenti extravasatione humorum pariunt irritationem, inflammationem, dolorem, deliria, suppurationem. Sectiones cadaverum, facilis explicatio symptomatum, et usus opii, hanc sententiam probare videntur. Causa proxima hoc constare videtur, sed ex sola debilitate non potest explicari, quomodo febris existat. Videtur praeterea aliquid nobis certe, ignoti adesse, quo in systemate nervoso tales mutationes efficiuntur, ut motus febriles existant. Hoc aliquid in miasmate situm esse videtur, quod autem adhuc non intelligimus, propter nostrae de hac re scientiae obscuritatem et tenuitatem.

§. 22.



De causis praedisponentibus.

Cum causa proxima sive natura typhi acuti nobis nondum innotuit, non possunus etiam de causis remotioribus certiores fieri. Scimus causam proximam magna ex parte consistere in defectione virium vitalium. Omnia igitur, quae totum corpus et sistema nervorum debilitant, hominem ad typhum acutum prouum reddunt. Pauca etiam de his. Multi jam a natura sunt imbecilles, sanguine attenuato, corpore laxo, fibra tenui praediti, ideoque etiam morbo valde expositi; multi et fere plurimi sibi debilitatem conscient, vietu vili, fame, vigiliis, nimiis evaeuationibus, venere immodica, venae sectionibus largis repetitis, morbis longinquis, inopia spirituorum, ex qua ultima causa Ill. TIMONIS pestem apud Turcas oriri judicat: ante enim religionis introductionem muhamadanicae febres pestilentes non essent grassatae.*) Porro aer impurus, mephiticis vaporibus impletus, qui non renovatur, urbes frequentes cum angustis plateis, ubi quisquiliae et lutum materiam nocentem exhalant, et ubi ventus non libere possunt spirare; humiles, parvi et impurae tiguriae; inopia aquae frigidae etc. Plurimae harum rerum, hoc agere videntur, ut debilitatem et enervationem corporis afferant. Maximam autem censeo partem producendi typhi acuti causam occasionalem habere.

*) TIMONI de peste; Phil. Transact. n. 364.

§. 23.

De causis occasionalibus.

Omnes fere autores contendunt, miasma sive contagium esse causam hujus febris occasionalem. Quomodo autem hoc febris producatur, non possunt explicare. Quod autem contagium vera sit causa, probant et exempla hominum robustissimorum hac febre correptorum, et epidemiae. Nec qua in re contagium consistat, nobis est expeditum. Cernimus exhalationibus putridis paludum febrem acutam nervosam produci, immo aere inclusio, vaporibus et exhalationibus hominum ibi degentium, contaminato, cui rei notum exemplum praebet judicium provinciale Oxoniae, ubi DLX homines ab exhalationibus captivorum e carceribus productorum, hac febre correpti, moriebantur.

§. 24.

De contagio.

Contagium credo in quadam meteorologica et chemica conditione aëris consistere, non autem in miasmate in aere obvoltante. Haec conditio aëris et reliquæ causæ, vim forsan habent nervos ita tangere, ut motus praeter naturales producent. Hic motus nervorum, sensorio communi communicatur et imprimitur. Nervi ita agunt, ut irritamento



mento afficiebantur, secernunt forsan materiam, quam contagium appellare liceat, et quo morbus producitur. Ope assimilationis dicunt quidem autores contagium digni, in quibus partibus autem hoc sit, in solidis, an in fluidis? quae sunt instrumenta hujus assimilationis? Hoc explicari non potest, verum quidem hac via, et si quidem vires et modus generationis miasmatis nos adhuc fugiunt; instrumenta tamen per quae miasma producitur, scimus.* Contagium non videtur esse specificum, quum et alii morbi eo possint produci. Quo autem major hujus contagii copia in corpus suscepta est tanto periculosior febris esse videtur. Hoc ex eo patet, quod homines sani, contagio expositi, vario modo ab eo afficiuntur, aliis alio vehementius. Res, quae prae ceteris sunt aptae ad hanc febrem gignendam, praecipuum sibi locum vindicant: lacus paludesque solis aestui valde expositae, nec aëri libero permeabiles; immundities magna et lutum putridum; praecipue autem carceres multis hominibus stipatae, quare multi etiam autores hanc febrem appellant carcerariam. Exhalationi hac febre aegrotantium, maxima inest vis typhum acutum afferendi. Omnia haec, praecipue aér, sunt causae hujus contagii. Potest tamen etiam aliis rebus propagari, facillime lanis et vestimentis. Quo fit, ut etiam in fabricis lanae exercendae constitutis haec febris sit frequens; aliae tamen res hic videntur congruere, ut multitudo hominum, spatio angusto conclusa, oleum rancidum, vietus vilis et alia.

§. 25.

*) REIL I. c. Vol. II. Fasc. I. p. 184.

De sectionibus.

Descriptiones sectionum corporum, typho acuto mortuorum, sunt praeclare, quae apud PRINGLE, LIND etc. *) inveniuntur. Omnes contendunt, nos saepissime post mortem exulcerationes, abscessus et gangraenam partium offendere internarum. In primis non exspectantur abscessus cerebri. Fere semper vitia topica et laesa organisatio cerebri adsunt. Ex hoc explicari possunt, dolores capitis, deliria eo continentiora, quo proprietor est mors, facies rubra et rubedo oculorum, etc. In his abscessibus saepe pus tenuet et ichrosum plurimum unicarum invenitur. In omnibus partibus cerebri tales abscessus sunt observati, interdum magnitudine ovi gallinacei, et ipso in cerebello. Dignum memoriae est, hujusmodi aegrotos non esse ita stupidos, ut ex laesa parte nobiliori concludi posse videatur; certe enim adhuc respondent, quando appellantur. PRINGLE in duobus intumescere caput vidit, et post mortem abscessus esse inventos. Non semper tamen abscessus reperiuntur, et saepe tum, quum eos adesse judicamus. Interdum substantiae corticalis cerebri forma est inflammatoria; interdum flaccida et marcida apparet. In aliis etiam partibus hi abscessus et gangraena reperiuntur, uti in hepate, liene etc. Nuper in instituto clinico praesente Ill. Professore REIL sectio instituta est, ubi in

*) JAMES LIND on Fevers and infection. Uebersezt in den Leipziger Samml. für Aerzte. II. Band, 3. und 4. Stück.



in cerebro multitudo hydatidum inveniebatur, nulus autem abscessus. In cavitate pectoris pulmones concreti et muco albo pleni, perinde ac foemina peripneumonia mortua esset, reperiebantur, lien erat tam flaccidum, ut digitis conteri potuit, ita etiam hepar. Miranda erat sanguinis inopia, cor enim et vasa majora penitus exsanguia erant.

Haec sunt, quae de sectionibus dicere mihi animus fuit, scilicet ad ea tantum, quae typho acuto sunt propria, significanda.

WIS

PICA

D

12/1

m sanguinis tenuioris ex cavo oris et naribus perpet-
eſt. Urina erat cruenta. Apparebant petechiae ni-
ſcēntes, quae etiam faciem immo coniunctivam ocu-
m obſidebant. Habitabat aegra in praedio in littor-
inus limici fito, febris intermittentibus frequenter
noxiō. Ut ut erat, ex analogia morbi proxima cum
urbuto, medela ad eius indicationes instituebatur. Cor-
re, ſpiritu vitrioli, infuso raphani cum ſinapi, lacti-
niis, carne recenti cum vegetabilibus uſa eſt, quibus
nia meliora reddebantur. Postea decocto malthi ex
de



DISSEſTATIо INAUГURALIS MEDICA
SISTENS
5
PATHOLOGIAM TYPHI
A C U T I
SIVE
FEBRIS NERVOSAE ACUTAE.

QUAM
CONSENSU
FACULTATIS ILLUSTRIS MEDICAE
IN REGIA FRIDERICIANA
PRAEſIDE
VIRO ILLUSTRI, EXCELLENTISSIMO
JOHANN. CHRIST. REIL,
MEDICINAE AC CHIR. DОCT. ET PROFESS. THERAPIAE
P. O. SCHOLAE CLINICAE DIRECTORE ET CIVI-
TATIS HALENSIS PHYSICO,
PRO
GRADU DOCTORIS MEDICINAE
ET CHIRURGIAE
RITE IMPETRANDO
DIE XVIII. OCTOBR. MDCCLXXXII.
PUBLICÉ DEFENDET
AUCTOR
JOHANNES FRIDERICUS MAASZ,
BRIGA SILESIUS.
HALAE,
LITTERIS CURTIANIS.

